



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 34. Sanctæ Annæ oppidi fundatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

& interjecto tempore, Petrus Romerus beneficio conciliaverant: qui in patriam rediens, popularibus suis Societati convocandæ author fuerat. Ad quam impletandam, templum domumque suo martyre superiori anno ædificaverant, & frequentibus nunciis ad Socios missis doctorem veræ legis exigebant potius, quam postulabant: coquæ processere, ut de uno è duobus Sociis in Sancti Michaëlis oppido degentibus clam rapiendo, incenso religionis Christianæ desiderio, collatis capitibus jocōne an serio agitarint. Cognitis eorum votis, Provincialis Vasquius Petrum Alvarum eò mittit cum potestate oppidum fundandi, Nativitatique Beatæ Virginis consecrandi. Primus Alvari labor fuit nongenta & viginti septem, magnâ ex parte puerilis ætatis, capita baptizare; secundus, adultos catechesi informare; tertius, vicina loca ad augendum oppidum excutere, tanto successu, ut primo anno novella respublica octingentis carechumenorum familiis steterit. Porro ex Araricanis, apud quos ego alio translatos magnâ animi lætitia triennium degi, haec tenus Societas novies mille & octingentos circiter sacro Fonte immersit.

Nec hinc stetit fervor Sociorum, nam sub id tempus trans Igaim fluvium, seriem Tapensium montium secanter, penetravit, procurante Itapaiw, potente earum terrarum casiquio, qui Petrum Romerum & Christophorum Mendocam in S. Michaëlis oppido conveniens affirmavit, si Igaim transmittere fidem vellent, oppidi fundandi materiam oportunitatemque reperturos. Ambo eò iter moliti, longè plura quam Barbarus promiserat invenire; nam quadrincentæ familiae, desertis pagis, in unum locum concurserant, tantam propensionem animorum ostentantes, quantam ab dudum cultis populis exigere posses. Ibi igitur Crux solemnri ritu erecta, infantes baptizati, & in Tutearem surgentis oppidi Sancta Anna electa est. Cujus oppidi curam suscepit Ignatius Martines, in Guairania & Itatiensis provincia multa cum laude ante versatus, qui ante finem anni octingentas familias, magno labore abs se reductas, computavit. Ex quo numero quot futuris temporibus Christo accesserint, Societate admittente, quamvis authentici libri perierint, factâ cum aliis oppidis comparatione, facilis conjectatio est. Quamquam non omiserim adnotare septem millia & septingentos ab non-nemine fuisse numeratos. Ex hoc loco Christophorus Mendoza ad Ethnicorum vicum delatus, adolescentes duos captivos, funestæ mactationi post sagenam destinatos, feliciter redemit.

Dum hæc in unis Tapensium montium crepidinibus gerebantur, duo alia oppida in obversa corundem montium parte condebantur, de quorum origine, situ, & progressu, hæc pauca accipe. Circa Igai fluminis capita campi latissime excurrunt, magnis nemoribus per intervalla distincti. Inter quæ nemora nominatissima erant Ibitiruna, Ibitirabebo, & Mondeca, à pinetis abundantissima, quarum arborum altitudo, dum ad maturitatem pervenire, centum & viginti pedum esse proditur. Tanta verò est eorum rectitudine, ut tornatae potius, quam sine cultu natæ, videantur. Dum adhuc crescunt, per æquales intercedentes ramos in modum coronarum circummittunt, qui suâ sponte paulatim incidentes, reservatis tantum vestigiis, nodos relinquunt, adeò duros, ut arte levigati ossibus politis, quam ligno similiores esse videantur. Hujus regionis incolæ prægrandibus pinis magnam anni partem vescuntur, quorum sapori haud admodum ab Europæis juglandibus differt. Reperitur etiam Paraquariensis herba, Indorum delicie, & aprorum capreatumque ingens copia, ita ut accedente modicâ agriculturâ, indigenæ rebus apud se natis non ægrè se sustentent. Ad has sylvas Tapensis Provinciae appendices ante biennium Petrus Romerus cum aliqua spe gentem ad oppidum Sancti Caroli biduo inde distans reducendi excurrerat, sed inde, quod ægrè se à patria terum abundantissima, abduci indigenæ sinerentur, de novo oppido condendo serio agitatum est. Superiori itaque anno cum ea spe in Quararipotentis Casiquii terris Ibitirunæ objectis Petrus Mola, jussu Romeri, Crucem erexerat: exinde Quaratus, & Tupaminus Casiquius Mondecaensis sylva incola, omnem adhi-

pud Araricanos ponuntur.

Araricanorum Religio-
niu[m] deside-
rium?

Petrius Al-
varus is
præf.

Infantes ba-
ptizat.

CAPUT
XXXIV.
Sanctæ An-
nae oppidi
fundatio.

Ignatius
Martines
ei præf.

Oettingens
familias re-
ducit.

7700 ba-
ptizati.

CAPUT
XXXV.
Oppidi San-
cta Ther-
esiae initia.

Ponetorum
descrip[ti]o[n]is.

Eamgentes
Petrus Ro-
merus pri-
mus adit.

Duinde Pe-
trus Mola.